Quaestio Medica.

Cardinalitijs Disputationibus Exagitanda: In Scholis Medicorum die Jovis 5a Martij, Clariss. Viro M. Antonio de Cappe Doctore medico Regio, moderatore Sapientissimo.

Estne ad Lipothymiam usq; licita vacuatio?

Vacuatio est humorum naturae leges Infringentium eiusdem ope, vi morbi, vel externo Artis, naturam plerumq; superantis, praesidio (neque Enim proprietate quadam occultâ, atq; Insitâ, neq; sua similitudine, neq; fugâ vacui, neq; denique ullâ aliâ ratione humores (vel etiam quadam ratione convenientes) trahere possunt medicamenta) suscitata Excretio. Ea duplex cum sit: vniversalis et particularis: utraq; aspectabilis, aut occulta: revulsionis Derivationis, Coeffusionis, aut Eductionis gratia suscipitur. Revulsio est materiae In locum dissentaneum Illabentis In contrarium κατ' ἴξιν tractus. Derivatio humoris In partem Illapsi In proximum, et Convenientem naturae locum aversio. Coeffusio naturalis motus, sed pigri et Imperfecti promotio. Eductio est absoluta eorum quae In Corpore, citra exagitationem, vitium faciunt, Evacuatio; quâ plethora demitur, et Cacochymia Interdum sine postliminio, Interdum à morbi Indicatione superstes, vacuatur: hanc ubi fastidium, In acutis malum, et oris amaror Indicant. Unde si quis à morbo Cibum non capiat, vacuatione opus habet.

Praecipua artis ~~quae~~ In vacuatione (quae plenitudini ex contraria est) subsidia sunt: vena sectio (omnium Excellentissimum ac Commodissimum remedium, quo non solum à Centro ad Circumferentiam, sed Etiam à Circumferentiâ ad Centrum tractio fit) plethorae, Purgatio Cacochymiae Confectanda. Plethora aliàs ad vasorum capedinem, quae sola vera est, periculi nunquam Expers, tametsi vires non premat, nec nisi In bene habitis corporibus, qualia non sunt Athletarum, et probè concoquentibus fieri solet, aliàs ad ferentis vires comparatur. Hanc Cacochymias breui participem arguunt, Corporis gravitas, motus segnities, prostrata Appetentia, somnus longus, primum dulcis mox Interturbatus Et laborem faciens, quod In morbo lethale: Illam produnt venarum omnium tumor aequabilis, pulsus magnus, et plenus, maximèq; tensionis, citra Exercitationem sensus. Cacochymia Cuiusuis est succi pernicies, et Corruptela, qua Corpus undiquaq; sordescit, alterutra bile, pituitâ, serosisve refertum humoribus: solius quantitatis noxa soli concessa sanguini.

Sanguinis detrahendi Copiam virium, In solidâ partium substantiâ consistentium, robur, et morbi, actiones primò laedentis magnitudo praescribunt. naturalem oeconomiam vegetam, aut vacillantem Coarguunt Urina, sanguinis serum, nunquam fallaces, Et alvi Excrementa. vitalem pulsus, Respiratio. Animalem sensus, motus, Ratiocinatio. his constantibus Evacuatio pro morbi ratione Impensior, fatiscentibus parcior, prostratis nulla prorsus Ineunda. nulla aetas phlebotomiam respuit. hac mulier gravida tutius quam purgatione, curatur. temperamento, habitui, Consuetudini, aeriq; nec ambienti aliquid concedendum. tenuioribus sanguis, plenioribus caro magis abundat. Experti Remedium ferunt alacrius.

Morbi quo maior fuerit saevitia, eo uberiorem sanguinis detractionem Efflagitat: maxima, maximam, quae Lipothymiâ Circumscribitur. Est autem morbus omnis, vel sui Ipsius ratione, vel Efficientis causae magnitudine, vel symptomatum vehementiâ periculosus. Undecunq; talis, ~~[illegible]~~ Imminens ex eo periculum, sola vacuatione ad lipopsychiam perductâ, citò, tutò, et Iucundè averti potest: haec non timore, et animi Ignaviâ, non humoris ventriculi orificium vellicantis acrimoniâ, nec Cordis virium lapsu praecipiti; sed largiore dumtaxat materiae peccantis Eductione, suscitatur, per quam Animalis facultatis Infirmae significatio fit, quamq; natura sagax Interdum In morborum depulsione molitur: hinc Exsolutio, quae dolorem solvit, ventrem humidiorem facit.

hoc sponte factum naturae Imitata ratio est In ardentissimis febribus, acerbissimis doloribus, maximisq; Inflammationibus sedandis, Excretione per vena sectionem, aut Catharsim (adhibendus siquidem primum is diorismus) animi deliquium attingente: hoc artificio dolores Colici, Auriculares, septimo die, aut etiam celerius mortiferi, Ex Systrophicâ partium phlegmone, gangraenam minitante, (cuius propria Crisis diaphoresis, aut suppuratio, est expetenda, non expectanda tamen In capite, aut visceribus) oriundi, non tamen adempto sensu, sed humoris dolorifici ~~vac~~ vacuatione, et retractione planè conquiescunt. In febribus synochis, Et Biliosissimis totus repentè habitus refrigeratur, ardor febrilis Extinguitur, deniq; quamplurimis alvo profusiore redditâ, vel sudoribus toto Corpore erumpentibus sanitas Integrè reparatur.



Est Igitur ad Lipothymiam usq; licita vacuatio.

Ponebat Germanus Clerselier, Parisinus A. Dni 1598.